

investigaverit aut exploraverit, certum esse: nec eundem talem esse nisi per eandem normam, aliis certò demonstrare posse: adeò ut veram Philosophiam statuamus tanquam Lydium lapidem, ad quam infallibiliter examinetur, & per quam certissimè demonstretur, num aliquis sensus Scripturæ sacræ tam nullò negotiò intellectus, quàm multò labore erutus, intentioni scribentis conveniat, an verò ab eadem discrepet. Unde palàm est nostram hanc sententiam à Socinianorum ac Arminianorum differre, primò quod ad certitudinem & infallibilitatem tam intellectiōnis, quàm interpretatiōnis, de quibus illi ne verbum quidem, nos expressè; Deinde, quod ad perspicuitatem Scripturæ in rebus ad salutem necessariis, & per se clavis, quam illi agnoscunt, nos negamus; Denique quod ad obscuriorum locorum interpretatiōnem, cujus illi Rationem, consideratiōnem circumstantiarum, antecedentium, & consequentium, collatiōnem aliorum locorum similium aut dissimilium, &c. tanquam media adhiberi velle videntur, nos verò Philosophiam normam facimus atque audacter pronunciamus. Atque in hòc ultimò etiam dissentimus à Reformatis, qui Scripturam seipsam interpretandi normam statuunt; ut & in secundò, cum in Scripturæ claritate & perspicuitate à Socinianis & Remonstrantibus seorsim non sentiant; quod utrumque suprà cap. 11. prolixè refutavimus. Denique quod Spiritus S. illuminationem attinet, eam ad Dei verbum intelligendum simpliciter non esse necessarium Socinianis & Remonstrantibus contra Reformatos jam ante asseruimus, & cap. 6. & 14. probavimus. Adeò ut nihil amplius, quod Socinianorum Arminianorumque Sententias, earumque cum Reformatorum & nostrâ consensum aut dissensum concernat, dicendum superesse, ac quod initiò hujus capituli nobis excutiendum proposueramus, prorsus absolvisse arbitremur.

9. At verò, antequam manum de tabulâ tollamus, finemque Exercitationi nostræ imponamus, dissolvendum hìc videtur absurdum, quod doctissimus Hoornbeek Socinianism. confutat. Tom. 1. lib. 1. cap. 6. sect. 2. arg. 4. in scenam producit adversùs Socinianos, & contra nostram sententiam quoque adaptari posset, nempe, *Si Philosophia, aut ratio est infallibilis S. Literas interpretandi Norma, tum Scripturam ejusque interpretatiōnem rationi (aut Philosophiæ) subjacere, quod est contra dignitatem Scripturæ, & veritatem; atque meritò quis horreat suo judicio tale quid arrogare. Hinc Spiritus S. judicium, & testimonium Scripturæ Sacræ, atque hominum, tam diligenter alibi distinguit, imò opponit, Joan. Epist. 1. cap. 5. v. 9. Si testimonium hominum accipimus testimonium Dei majus est, & idem Euang. cap. 5. vers. 34. Ego verò testimonium ab homine non accipio.* Atque huic non absimile est quod habet idem eòdem cap. sect. 1. pag. 91. *Rationem (aut Philosophiam)*